DISSERTATIO INAUGURALIS

Quam

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

IURISCONSULTORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES

RITE CAPESSENDOS

IN AULA MAIORE H. XI

DIE XXVIII. M. SEPTEMBRIS MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS WASNER,

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

A. MUELLER,

REFERENDARIUS REGIAE ADMINISTRATIONIS IN SILESIA.

J. WIECZOREK,

DR. IUR. ET IUDICII SUP. REFEREND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS W. G. KORNII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO

PHILIPPO EDUARDO HUSCHKE,

IURI UTRIUSQUE, PHILOSOPHIAE ET S. S. THEOLOGIAE DOCTORI, IUSTITIAE A CONSILIIS INTIMIS, FACULTATIS ICTORUM ORDINARIO, EQUITI AQUILAE RUBR. TERTII ORDINIS CUM LEMNISCO

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO DILECTISSIMO.

HUNC LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Anno h. s. LII Ordo Ill. ICtorum certaminis litterarii causa quaestione de servitutibus ad aquam pertinentibus proposita voluerat, ut doceretur, quod earum secundum praecepta iuris civilis propium esset. Quaestionis gravitate adductus ad fontes iuris civilis providus sollersque accesseram haud parum utilitatis me capturum esse ratus, si in iis diligentior versarer, etsi certaminis palmam consequi non contingeret. Altius altiusque in fontibus quaerendo adauctae sunt difficultates eoque me perduxerunt, ut his et controversiarum in scriptis ICtorum mole absterritus opus inceptum abiicerem. Quum vero magnis variisque vitae aerumnis feliciter superatis sperare liceret, fore ut examen pro gradu doctorali subirem ad quaestionem aliquamdiu intermissam reversus iam strenue solvendam forti animo me accinxi. Ex his studiis dissertatio „de ser-

vitute aquaeductus“ prodiit eamque Ordo humanissimus approbavit. Quae tamen quum fines opusculi academici longe transgrederetur, quaestiones quasdam subtiliores et graviores elegi et dissertatione hac inaugurali typis mandare constitui. Quem libellum, iam publico examini submittens, enixe rogo ac precor, ut hae studiorum primitiae a doctis viris ea indulgentia et benignitate accipiantur, quae tironum speciminibus tribui solet.

§. 1.

De notione verbi „aquaeductus.“

Vox „aquaeductus“ vel etiam „ductus aquae“, quam in fontibus iuris Romani reperimus, primum denotat apparatum ad aquam ducendam institutum[1]) similiter atque „aquagium“[2]); deinde autem ius quoque vel servitutem saepissime continet[3]). Huius servitutis, quae etiam servitus aquae (ducendae) aut ius aquae scil. ducendae[4]) aut iter aquae vel aquarum[5]) appellatur, has fere congruas explicationes reperimus: in pr. J. 2, 3:

---

1) Id praecipue ex praescriptione tituli 42 l. 11. C. „de aquaeductu“ exque titulo libri Frontini „de aquaeductibus“ sequitur. Cf. Schilling, Inst. II. p. 652 not. x. — Eodem sensu etiam vox „ductus“ sola usurpatur in l. 3 §. 3 D. 43, 21. et l. 21. D. 8, 5.

2) Paul. diac. ex Festi libri sub h. v.: „Aquagium est quasi aquae agium i. e. aquaeductus. L. 15. D. 8, 3. L. 3. §. 5. D. 43, 20. L. 9. D. 8, 6.

3) Cf. pr. I. 2, 3 et l. 1. pr. l. 26. D. 8, 3 praeter multos alios locos infra afferendos. — „Ductum aquae“ pariter atque aquaeductum ius quoque neque apparatum solum denotare locis his probatur l. 5 pr. D. 8, 1; l. 34. §. 1. D. 8, 3; l. 17 pr. D. 39, 1; l. 1 §. 1 D. 43, 22. Qua de controversa cf. *Friedlaenderi* „Die Lehre von der unvordenkl. Zeit“ p. 64, deinde scripta *Zach. Lingenthalii* (Civ. Arch. XXVII p. 18), *Schmittii* Ilmen. (Civ. Abhandl. p. 187) et notam *Schirmeri* (*Unterholzner*, Verjährung 2. Ausg. §. 142).

4) Voces „servitus aquae“ et „ius aquae“ quae in l. 31 D. 8, 3 altera pro altera adhibentur, ita inter se differunt, ut vox „ius aquae“ multo latius pateat; quia non solum aquaeductum vel aliam servitutem aquae e. g. hauriendae sed etiam ius publicum huiusmodi complecti potest.

5) Locutio „iter aquae“ primum quidem significat angustum tractum, quo aqua fluit vel ducitur. (Cf. L. 21. D 8, 5. L. 19. pr. D. 8, 6); deinde vero „ductum“ sive rivum (L. 15. l. 21. D. 8, 3, L. 8. D. 43, 20. L. 19 §. 4. D. 10, 3); denique etiam ius vel servitutem aquae ducendae ipsam indicat (l. 16. 19. pr. D. 8, 6). Diss. §. 4.

„Aquaeductus est ius aquae ducendae per fundum alienum" et in l. 1. pr. D 8, 3: „Aquaeductus est ius aquam ducendi per fundum alienum."

Quibus verbis adici potest Theophili paraphrasis[6]: Aquaeductus ἐστι δικαῖον τοῦ ἕλκειν με ὕδωρ δι ἀλλοτρίου ἀγροῦ· οἷον εἶχες ἀγρὸν ὕδατι πλουτοῦντα· εἶχον δὲ ἐγὼ πλησίον ἀγρὸν ὕδατος δεόμενον· ᾔτησά σε, ὥστε μοι ἐξεῖναι ἐκ τῆς παρὰ σοὶ φυομένης πηγῆς ὕδωρ ἕλκειν εἰς τὸν ἐμὸν ἀγρὸν. παρέσχες μοι τοῦτο. αὕτη ἡ δουλεία λέγεται aquaeductus.

Facile intellegitur his verbis non aliud contineri atque interpretationes neque autem definitiones. Itaque *Boeckingius*[7]) in iis non acquiescens amplam ac subtilem quandam definitionem, omnia huius servitutis momenta complectentem componere studet; quum *Thibaltius*[8]) fortasse illas explicationes respiciens definitionem, quia ex sensu verbi proficiscatur superfluam esse putat. Quam sententiam probabilem non esse, iam ex eo intellegitur, quod recentiore tempore alii ICti huic servituti pleniorem sensum quam alii attribuerunt. *Glueckius*[9]) enim nomine „aquaeductus" non solum ius aquam alienam in suum fundum ducendi sed etiam ius aquae ex proprio fundo educendae vel in alium fundum immittendae contineri arbitratur. Eodem modo *Muehlenbruchius*[10]) distinguit aquaeductum strictiore et ampliore sensu, quorum posterior notionem a Glueckio propositam continet. *Sintenius*[11]) vero, quamquam non dubitat, quin de apparatibus quidem ad aquam continendam factis eadem praecepta utrique servituti edita sint, tamen utramque servitutem separatam tractat. Itaque quum ICti qui hodie de servitutibus disseruerunt[12]), per-

6) L. 2 t. 3. pr.

7) Pand. §. 171. I.

8) *Thibaut,* System §. 301.

9) Commentar. §. 682.

10) §. 279.

11) Civilrecht §. 63. n. 22.

12) *Schilling,* Inst. II. p. 632. *Boecking,* Pand. §. 138. n. 16. §. 170. II. k. x. not. 78. *Keller,* Pand. §. 166. II. *Emil Hoffmann,* Die Lehre v. d. Servituten. I. p. 116. *Zielonatzki,* Kritische Erörterungen über die Servitutenlehre. Bresl. 1849. *Luden,* Die Lehre von den Servituten. 1837. §. 28. *Elvers,* Die römische Servitutenlehre. §. 43.

inde ac veteres[13]), plerumque istius confusionis iurum plane nullam mentionem faciant, argumenta usque adhuc nondum allegata[14]) servitutem aquae immittendae quopue in fontibus nominari aquaeductum, quaerenda ad eum, qui de servitute aquae immittendae forte disserturus est reiicimus.

Definitionem vero, quae, omni quaestione huius iuris diligentissime tractata, difficilis est, nos, qui in limine quaestionis stamus, componere non conamur; sed omnia servitutis singula, quae in pandectis reperimus, hac in expositione persequemur, ut ea ratione vim huius servitutis cognoscamus. Sed antequam in ius pandectarum intremus, historiam servitutis breviter perscrutemur!

§. 2.
De aetate servitutis.

Quo tempore servitus aquaeductus orta sit, quum fontes nihil de hac re tradant, non magis quam in aliis servitutibus potest indicari, sed qui de hac re disseruerunt, in ea sunt sententia, illam mature in iure Romano admissam esse. Huius opionis, quam praecipue Elversius probare studuit[1]), rationes primo in re ipsa cernuntur. Etenim Romanos, sive conditores Romae pastores sive rei maritimae studiosi fuerint, iam antiquissimo tempore agriculturae operam dedisse constat[2]) neque ab illo historiographo, qui priscos Romae incolas navigatores fuisse dicit, negari potest[3]). Hinc necesse erat, ut terra in fundos, praedia, agros terminis positis divideretur[4]). Quo facto

---

13) Cf. Barth. Caepollae tract. de servitt. Colon. Agripp. MDCXVII. c. IV. p. 452.

14) Cf. quod nuper de iure aquae immittendae scripsit Hesse: Grundzüge des Wasserrechts nach gem. Rechte (§. 11. 12.) in vol. VII. horum „Jahrbücher für die Dogmatik des heut. röm. und deutsch. Priv.-R. ed. Ihering.

1) Cf. Die römische Servitutenlehre §. 1.

2) *Huschke*, Verf. des Servius Tull. cap. 2—5. praecipue pp. 28. 34 56. 63. 72 usque ad 85. 131. n. 39.

3) *Theod. Mommsen*, Römische Gesch. I. cap. IV. c. 1. p. 25. sq. c. 13. tom. II. c. 8. p. 291 sq.

4) L. 211. D. 50, 16. — Cic. de or. I. 58. 249. Gromatici veteres e. r. *C. Lachmann*, diag. ed *A. Rudorff*. Berol. 1848. I. p. 368 „de agris"; tom. II. pp. 234, 407.

quum fundus ab aliis seiunctus id omne quod hominibus ad fundum (sive in forum sive in agrum remotum) aut ad vehendam messem aliaque aut ad pecora agenda aut ad agros colendos opus est, non praeberet[5]), homines rationes inire coacti sunt, ne agricultura agris separatis damnum caperet. Quid si agri in dominio privatorum erant ad incommoda fictionis, qua singuli fundi res per se haberentur, tollenda melius esse poterat quam illae servitutes itineris, viae, actus, aquaeductus, quas Cicero „iura aquarum itinerumque“ appellat[6]).“

Praeterea illa opinio, qua servitutes itineris, viae, actus, aqnaeductns revera antiquissimae fuerint, confirmatur fontibus, praecipue ea re, quia in res mancipi, quae in antiquo iure civili numerum absolutum faciunt, referuntur[7]), deinde etiam, quod ab ICtis Romanis saepe exhibentur solae, ita ut nonnnllae regulae ad omnes servitutes pertinentes, de illis tantum proponantur[8]). Atque quod ad aquaeductum attinet Paullo auctore[9]) iam in XII tabulis, si per publicum locum aquaeductus privato nocuerit, actio ut noxa domino caveatur promissa est. Quapropter quoniam lex de publico aquaeductu intellegi nequit (nam in quem damni infecti actionem compositam esse dices?) *Elversius* dubium esse negat, quin Romani illius temporis etiam aquaeductibus per alienos fundos constitutis usi sint nec non servitutem huc pertinentem noverint.

At ius aquae ducendae non omnibus temporibus idem erat, itaque quem locum aquaeductus in iure Romano paullatim tenuerit, §. sequente disseramus!

---

5) *Keller,* Pand. §. 163. p. 312. I. Jahrbücher für die Dogm. des heut röm. u. deutsch. Privatr. vol. VI. pp. 95. 96. 383.

6) Cic. pro Caec. 26.

7) *Huschke,* Verf. p. 264. *Zach. v. Lingenthal,* Ueber die Unterscheidung der Servituten etc. § 5. *Elvers,* l. c. p. 12 sq.

8) L. 1. D. 8, 3. L. 17. D. 8, 1. L. 3. §. 2. D. 19, 1. LL. 4. 7. D. 43, 20. Paulli sentent. rec. I. 17. L. 26. D. 8, 3. L. 1. D. 33, 2. *Elvers* p. 11 sq.

9) L. 5 D 43, 8.

§. 3.
Quem locum aquaeductus in servitutibus ab origine usque ad Iustiniani tempora tenuerit.

Similiter atque aliae servitutes, quae inter res mancipi numerabantur, aquaeductus primis temporibus non nisi ad fundos in Italico solo positos a dominis ex iure Quiritium acquisitos spectabat neque alio modo quam mancipatione constitui poterat [1]). Sed palam est aquaeductum (perinde ac servitutes itineris, viae, actus) illas strictiones, quas gravitati suae debuit, paullatim solvisse. Etenim quum Romani provincias acpuisivissent atque ex hac vel ex alia causa iam multi fundi non essent in dominio iusto, praetor, cuius erat adiuvare vel supplere vel corrigere ius civile propter utilitatem publicam [2]), etiam in fundis provincialibus, in praediis vectigalibus vel, quae in bonis tantum erant, aquaeductus pactionibus et stipulationibus constitutos tuebatur [3]). Eiusmodi iura appellabantur „servitutes praetorio iure constitutae [4]).“ Verumtamen in iure *Iustinianeo,* quia illud discrimen antiquum, quod erat inter dominium ex iure Quiritium et res, quae in bonis sunt, inter praedia in Italico solo ac provincialia, inter res mancipi ac nec mancipi inde etiam acquisitionum iis congruarum fuit sublatum, distributioni servitutum in has, quae iure civili et quae tuitione praetoria constituebantur, alia vis data est. Vocabantur enim eae servitutes iure civili constitutae, quae a domino eiusve loco ab iudice impositae erant, praetoris tuitione constitutae, quas superficiarius, emphyteuta vel bonae fidei possessor acquisiverat [5]).

Etiam alio modo ius strictum, quod de hac servitute antiquitus valebat, amplificatum esse videtur. Nam e ratione, qua servitus nostra in fontibus tractatur [6]), elucet aquaeductum primo ad agros irrigandos institutum esse vel — ut aliter loquar —

---

1) Gai. II. 17. 29. De ambobus locis v. *Zach. Lingenthalii* „Unterscheidung etc.“ §. 7. Cf. Gai. II. 31.

2) L. 1. pr. D. 1, 1.

3) L. 3. C. 3, 34. *Elvers* §. 29. *Keller,* Pand. §. 181. Eiusdem Civilprocess §. 30.

4) L. 1. §. 2. D. 8, 3. *Puchta,* Pand. §. 21. *Boecking,* Pand. §. 161 pr.

5) *Boecking,* Pand. §. 160. I. Grundriss II. 72.

6) L. 1. pr. D. 8, 3. L. 1. §. 11. D. 43, 20.

servitutem rusticam fuisse; posteaque demum in urbanis quoque praediis constitutum esse [7]). Sed hac in forma haud magni momenti aquaeductum fuisse consentaneum est. Urbium enim incolae principio aquam maxime hauriebant, postea vero, artibus industriaque florentibus ac luxuria balneorum rel. progrediente, ex publicis aquaeductibus per loca publica, quibus praedia urbana saepissime adiacent, aquam ducere solebant [8]). Sed nihilominus dubitari nequit, quin aquaeductus (ut omittatur, quam grave vel leve sit discrimen inter servitutes praediorum rusticas et urbanas intercedens) tum servitutem rusticam tum urbanam constitui possit nec discrimen, ut ICti docent, inter utramque iure sit [9]).

Ex eo quod commemoravimus patet, aquaeductum servitutem praediorum fuisse, sed temporibus posterioribus — ut videtur — magnis ICtis florentibus quaestio orta est, num aquaeductus etiam personae concedi possit [10]). Hac in controversia, quam *Justinianus* in pandectas recipit, primum discernendus est aquaeductus domino fundi in vitae tempus concessus ab eo, qui personae fundum non habenti acquirendus sit vel alicui habenti quidem praedium, quod

---

7) L. 11. §. 1. D. 6, 2.

8) L. 4. C. 11, 42. Front. c. 94. 97. 100. 101. 104 aliaque cap.

9) Qui recentiore tempore exstiterunt iurisconsulti plerique omnes negant illam servitutum divisionem ex iuris discrimine profectam esse. *Zachariae Lingenthalius* (l. c. §. 19) in eo tantum niti, quo servitus utilis esse debeat, discrimen opinatur. Cum hac opinione maximam partem consentit *Elverius* (§. 37—41). Quem magnopere exagitans refutat *Boeckingius* (§. 161 Anh. I.), qui divisionem istam eo tantum spectare dicit, ut ea subiectum iuris indicaret. (c. eiusd. Instit. p. 102 b). Novissimam de hac controversia pertractationem exaravit *Kindervater* („Welche Bedeutung hat die Eintheilung der servitutes praediorum in urbanas et rusticas?" Quae quaestio tractatur in Jahrbüch. des gem. deutschen Rechts ed. vol. 6. t. 1. n°. 4). Qui divisioni illi non nisi historicum momentum attribuit. Similiter ac *Puchta*: Instit. §. 256 u. 2. — — *Zach. de Ling.* (Unterscheidungen p. 96) putat, eas ipsas servitutes, quae modo sint rusticae modo urbanae, iura communia tam rusticorum quam urbanorum fortasse nuncupatas esse.

10) Qua in re recentiores iurisperiti de servitute „ignomini," „irregulari," „innominata", „extraordinaria", „anomali" loquntur; cuius denotationis auctor Zasius esse dicitur. Cf. *Zach. de Ling.* Civil. Archiv XXVII. p. 9 et 13. *Muehlenbruch*, civ. Bemerkungen in civ. Arch. XV. Quae nomina non nisi ex natura servitutem ignorata proficisci *Boeckingius* docet (Pand. §. 161. n 22 sq.). Cf. *Keller* §. 179.

autem ad servitutem non spectet. In priore *Zachariae Lingenthalius* de servitute personali cogitari posse negat, sed praedii servitutem manere[11]). Quin praediorum servitus ideoque etiam aquaeductus tantum ad vitam alicui possit concedi non dubium esse videtur. Profecto id non ipso quidem iure fieri poterat, verumtamen conditione adiecta, qua successori vindicanti exceptio doli obstabat. Et *Paullus* ipse commemorat aquaeductum, quem, quamquam non diserte ad vitam tantum constitutus erat, tamen quasi id additum esset perhibet[12]).

Posse autem personae quoque putat *Zach. de Lingenthal*, sive fundus ei sit sive non sit, servitutem, quae in numero servitutum praediorum collocari solet, concedi. — *Puchta*[13]) et *Boeckingius*[14]) eandem opiniouem amplecti videntur. *Ludovicus de Keller*[15]) et *Elversius*[16]) legislationem censent non ad finem pervenisse.

Nobis vero id quod aquaeductus indole sit demonstrare studentibus nec servitutes cunctas uberius describentibus haec quaestio persequenda non est.

§. 4.

Quae sint singula aquaoductus.

Postquam historiam aquaeductus breviter persecuti sumus, nunc ad singula aquaeductus in pandectis exhibita transgrediamur.

Quid huius servitatis summum sit, ex definitione Romanorum supra proposita intellegitur: aquaeductum esse ius aquae ducendae per fundum alienum. Huc inprimis pertinet, quod cui ius concessum est, ei angustus tractus, quo aquam ducere liceat, competit. Idque „iter aquae“ strictiore sensu appellatur[1]). Si eiusmodi iter in servitute constituenda non descriptum est, *Paullo* teste[2]) locum, quo ductus instituendus sit, eligere

11) Civil. Archiv XXVII. p. 3.

12) L. 37. D. 8, 3. *Zach. de Ling.* l. c. p. 33. *Savigny*, Syst. II. p. 225. n. G. *Boecking*, §. 161. n. 23.

13) Instit. p. 782. 800.

14) Pand. §. 161. f. n. 23. 25. 27. Anh. I.

15) Pand. §. 179.

16) Servitut. §. 20. 23.

1) Diss. §. 1. n. 5.

2) L. 21. L. 26. D. 8, 3. L. 8. D. 43, 20

licet ei, cui est aquaeductus. Verumtamen aequitate legeque electio circumscribitur. Nam cui ius sit, is aquam civiliter ducere i. e. terrae cultae aut aedificiis ornatae parcere debet, quum aquam per aliam partem aeque commode ducere possit[3]). Nec sunt hac in re leges contemnendae, quibus ne ductus per loca publica nisi permittente imperatore instituatur vetitum est[4]). Denique per loca sacra et religiosa ne itineris quidem vel viae vel actus servitutes, nedum aquaeductus, constitui licet[5]).

Ductu semel constituto, locus, quo iter spectet, destinatus non amplius potest immutari[6]), nec quidem si flumen, ex quo ducitur, longius recessit, iter in aliam partem transferre licet, sed eum terminis primo constitutis coerceri oportet[7]).

Cum iure aquae per alienum fundum ducendae quaedam adminicula sunt coniuncta, proxime ut apparatus ad ductionem necessarios veluti rivos[8]) specus[9]) septa[10]) in fundo alieno constituere liceat. Deinde etiam iura id omne faciendi, quo ductus conservatur, aquaeductum „tacita" sequuntur. Etenim „refectionis gratia", Pomponius inquit[11]), „accedendi ad ea loca, quae non serviant, facultas tributa est his, quibus servitus debetur,

3) L. 22. D 8, 3. L. 9. D. 8, 1. L. 3. §. 2. D. 43, 21: ... „sine incommoditate .." L. 1. §. 16. D. 43. 20.

4) L. 14. §. 2. D. 8, 1. L. 18. §. 1. D. 39, 3. L. 11 pr. D. 8, 4. L. 1 pr. D. 8, 2. L. 38. D. 8, 3. L. 17. §. 2. 3. D. 39, 3.

5) L. 14. §. 2. D. 8, 1. L. 11 pr. D. 8, 4. L. 17. §. 3. D. 39, 3.

6) L. 9. D. 8, 1 in fine.

7) L. 3. §. 2. D. 43, 20. Quem legem *Boeckingius* (§. 170 n. 38) subtiliter interpretatus est.

8) L. 3. §. 2. D. 43, 21. De alia rivi notione, qua Germanicum „Bach" significatur v. *Hesse* l. c. p. 188. 190. Quam ad notionem pertinet l. 1. §. 1. D. 43. 92. — *Elversius* (§. 43) putat. fossas quoque ad aquam ducendam spectare, quod probari non potest. Cf. L. 1. §. 5. D. 43, 14. L. 1. §. 4. D. 39, 3. *Rudorff*, Grom. Instit. p. 147. 148.

9) L. 1. §. 3. D 43, 21. *Brissonius*, Vocabularium sub h. v. Natura specus ex eo, quod fontes referunt, vix intelligenda est. Non enim patet specusne modo quodlibet genus rivorum significet, atque quo momento discernatur a „rivo" strictioris sensus et a „cuniculo", quem *Dirksennus* interpretatur per „canalem subterraneum."

10) L. 1. pr. §. 2. 4. D. 43, 21.

11) L. 11. D. 8, 4. Cfr. SCt. Venafranum in libro, qui inscribitur Inscriptionum latinarum rel. collectis. Vol. III. p. 270.

qua tamen accedere iis sit necesse, nisi in cessione servitutis nominatim praefinitum sit, qua accederetur; et ideo nec secundum rivum, nec supra eum, si forte sub terra aqua ducatur, locum religiosum dominus soli facere potest, ne servitus intereat; et id verum est; sed et depressurum vel allevaturum rivum, per quem aquam iure duci potestatem habes, nisi si, ne id faceres, cautum sit. — Si prope tuum fundum ius est mihi aquam rivo ducere, tacita haec iura sequuntur, ut reficere mihi rivum liceat, ut adire qua proxime possim ad reficiendum eum ego fabrique mei; item ut spatium relinquat mihi dominus fundi, quo dextra et sinistra ad rivum adeam, et quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem iacere possim."

At domino fundi servientis, ut in omnibus operibus in alieno solo faciendis fieri solebat, cautionem de damno infecto petere licuit, priusquam permitteret, ut rivi fieret confectio, purgatio rel.[12]).

Tantummodo haec quae enumeravimus iura aquaeductus continet, si publica aqua[13]) ducitur, sed ius quoque aquae privatae, in alieno fundo fluentis, ducendae servitus nostra continere potest[14]).

At non omnium aquarum aquaeductum constitui posse, quia aquaeductui, proinde atque aliis servitutibus praediorum perpetua causa opus sit, ICti docent[15]). Quam rem accuratius consideremus.

---

12) L. 3. §. 9. D. 43, 21. LL. 2. 6. 7. §. 1. L. 19. §. 1. L. 24. §. 2. 9. L. 30 D. 39, 2. — *Keller,* Civilpr. §. 77.

13) L. 1. §. 15. l. 2. D. 43, 12. L. 19. §. 2. D. 39, 3. L. 1. §. 1. 2. D. 43, 12. L. 17. D. 8, 3. Qua conditione usus ille permissus sit, doctrina de rerum publicarum usu exponit. Jus, quo aquam publicam per locum publicum ducere conceditur, ad servitutes non pertinet. Fusius de hac re agunt *Elverius* in libris, qui „Themis" inscribuntur. Vol. I. p. 428; *Kori* (Arch. f. civ. Prax. XVIII.), *Boerner* ibid. XXXIX. p. 149 sq; *Rud. Elversius* (Servituten §. 30. p. 271), denique *Hesse* Jahrbücher VII §. 15 *Boeckingius* (Instit. II. §. 100. III. §. 53. 3) eiusmodi iura vocat: quasiservitutische Rechte.

14) L. 4. D. 43, 20. L. 8. D. 39, 3: .. in quorum loco aqua oritur ..." L. 1. §. 16. D. 43, 20: .. ex quo aquam ..." L. 16. pr. D. 8, 6. L. 4. C. 3, 34.

15) *Goeschen,* Pand. II. p. 239. *Puchta,* Instit. §. 254, Vorles. §. 182, 2. *Elvers* §. 17. *Boecking* §. 162 r. sq. *Keller,* Pand §. 164, 6.

De perpetua causa aquaeductus.

§. 5.

In universum.

Quum ad id, quod appellatur „perpetua causa aquaeductus", intellegendum, lex 28. D. 8, 2 saepius tractata non debeat omitti, nobis nostram opinionem de hac lege breviter proferre liceat[1]). Putamus enim *Paullum* haec exprimere voluisse. Omnes servetutes praediorum perpetuas causas habere debent. Quam ob rem flumen, cuius mentionem facit, sane servitus praedii est, nam aqua pluvia, quae in vicini fundum deducitnr, ex naturali causa fit et ideo (etsi non assidue fit tamen quod semper denuo fieri solet) perpetua causa existimatur. Sed foramen in imo pariete conclavis vel triclinii, quod sit proluendi pavimenti causa (quamvis magnam cum servitute fluminis habeat similitudinem) neque flumen esse neque tempore adquiri placuit[2]). Hoc ita verum est, si in eum locum nihil (quoniam locus ille cum flumine coniunctus fingi potest) ex caelo aquae venit, neque enim perpetuam causam habet, quod manu fit. Inde stillicidii immittendi quoque naturalis et perpetua causa esse debet. Fons autem (ut exemplo utar!) surgens manu factus, cuius aqua ex parte in vicini fundum cadit neque stillicidium esse neque tempore adquiri potest, Et ideo (i. e. quod non perpetuam causam habent) neque ex lacu neque ex stagno concedi aquaeductus potest.

Quamvis hac in lege non solum perpetua causa servitutum sed etiam naturalis requiritur, consuetudo, qua ICti perpetuae causae tantum mentionem faciunt, nihilominus non reprobanda est, quum id quod manu fit nec naturale est, perpetuum esse *Paullus* neget; sed ille ICtus ipse causam et naturalem et perpetuam discernit. Procul dubio intellegit naturalem causam fluminis et stillicidii aquam pluviam, ac perpetuam causam id putasse videtur, quod imber in rerum natura fieri non cessat, quare sem-

---

1) Varias huius legis interpretationes librosque eam tractantes indicat *Elverius* p. 152.

2) L. 29 h. t. *Unterholzner*, Verjährung §. 140

per denuo alter fundus aqua abundat. Nec non in servitutibus aliis ad aquam pertinentibus causa perpetua ac naturalis discerni solet. Ulpianus enim, qui hanc doctrinam maxime excoluit, cisternae hauriendi vel pecoris ad aquam appellendi servitutem imponi posse negans, eam non habere dicit perpetuam causam nec vivam aquam[3]). Nec vero dubitare possumus, quin aqua viva in his servitutibus idem sit atque quod a *Paullo* naturalis causa servitutum dicitur; nam viva aqua non alia est quam fontana, quae a terra quodammodo procreatur ac postquam procreata est, quasi vivens se movet. Huiusmodi aqua non solum fonti fluminique est, sed etiam lacus, piscina, puteus aquam habere possunt fontanam[4]). Itaque nec cisterna, quae imbribus concipitur[5]), nec stagnum, quod temporalem continet aquam ibidem stagnantem, quae quidem aqua plerumque hieme cogitur[6]), servitutes aquae accipiunt.

§. 6.
Id quod sequitur.

Quod ad aquaeductum attinet, Ulpianus dicit: „Nulla alia aqua duci potest nisi quae perennis est.“ Quum autem etiam ea aqua, quam publici aquaeductus, castella vel lacus, tenent, perpetua esse possit[1]), Ulpianus earum tantum aquarum, quae a capite ducantur, non aliunde servitutem iure civili constitui posse addit. Per aquam vero ex capite ducendam illa, quae viva dicitur, intelligenda est. Id quod ex his verbis: Haec interdicta de aqua item de fonte (quod ad vivam tantum aquam pertinet) ad eam aquam pertinere videntur, quae a capite

3) L. un. §. 4. D. 43, 22.

4) L. un. §. 4. D. 43, 22.

5) L. un. §. 4. D. 43, 22.

6) L. 1 §. 4. D. 43, 14. L. 28. D. 8, 2.

1) L. 1. §. 7. 39. D. 43, 20. — Lacus aquam vivam interdum habet (L. un. §. 4. D. 43, 22), sed proinde ac castellum aquam collectam saepe habere videtur (L. 3. §. 3. D. 43, 21. Frontin. §. 149). Omnino autem perpetuam aquam esse lacui, *Ulpianus* dicit (L. un. §. 3. D. 43, 12). Paullus quidem negat, lacum habere perpetuam causam (l. 28. D. 8, 2), tamen ipse de lacu perpetuo, cui servitus navigandi imponi possit, loquitur (l. 23. §. 1. D. 8, 3).

ducitur", maxime vero ex eius explicatione vocis capitis apparet. Ait enim: „Caput aquae illud est, unde aqua nascitur; si ex fonte nascatur, ipse fons, si ex flumine vel lacu, prima incilia, vel principia fossarum, quibus aquae ex flumine vel ex lacu in primum rivum communem pelli solent. Plane si aqua sudoribus manando in aliquem primum locum effluere, atque ibi apparere incipit, eius hoc caput dicemus, ubi primum emergit."

Sed non omnium aquarum vivarum, quamquam perennes sunt, aquaeductum constitui posse Ulpianus ipse docet. „Quamquam autem, inquit, ad perennes aquas dixerimus hoc interdictum pertinere, ad eas tamen perennes pertinet, quae duci possunt. Ceterum sunt quaedam, quae etsi perennes sunt, duci tamen non possunt, utputa puteales, et quae ita sunt submersae, ut defluere extra terram et usui esse non possint; sed huiusmodi aquis, quae duci non possint, haustus servitus imponi potest." Itaque non nisi fontis vel fluminis[2]) vel etiam lacus aquae ducendae servitus constitui potest.

Constat igitur praecepta de huius servitutis causa perpetua esse restrictiora, quam de illa haustus vel pecoris appulsus; neque immerito. Nam quum is, qui ducit, ampliore aquae copia

2) Privato flamini, quamquam aquam vivam habet, aquaeductus imponi non videtur. Ulpianus enim requirit, ut aquaeductus non nisi perenni aquae imponatur, omnia autem flumina, quae habeant aquam perennem publica esse Cassius, Celsius et Ulpianus probant (l. 1. §. 3. D. 43, 12). Privati igitur fluminis nulla aqua perennis est neque aquaeductus ei potest imponi. — *Hessius* (Jahrbücher VII. pp. 191. 201. sq.) auctores maxime citans Ulpianum (l. 1. §. 2. 3. D. 43, 12) et Ovidium (Remed. 651: „flumine perpetuo torrens solet acrius ire, sed tamen haec brevis est illa perennis aqua.") per privatum flumen tantummodo torrentem intellegit nec non aquam a nobis „*Bach*" appellatam ad publicum flumen pertinere probat. — *Elversius* (§. 43) privato quoque flumini aquaeductus servitutem imponi posse arbitratus, domino praedii, in quo sit flumen privatum, aquam ipsam esse negat, quia aqua profluens sit ideoque in rebus communibus numeranda, quae cuique acquiruntur (l. 2. pr. D. 1, 8). Sed neglegit, aquaeductum non esse ius commune sed proprium (*Hesse* l. c. §. 15), quod etiam in fluminibus publicis non cuilibet eo ipso competit, sed imperatoris tantum vel senatus permissu (Diss. §. 4. n. 13). Quod autem imperator in rebus publicis id dominus in rebus privatis est. Itaque si flumini privato aquaeductus imponi potest, certe domini est, aquam ipsam neque iter solum concedere. Nihil enim differt a ceteris locis privatis flumen privatum (l. 1. §. 4. D. 43, 12).

uti solitus sit, quam qui haurit, magis etiam praestandum est, ut aqua sufficiat; praeterea autem quod ille, qui ducit, non semper ad aquae caput veniens aquam tollit, sed vigori naturali [3]) fretus, nonnunquam tantum, prout plus vel minus ducere velit, septa instruere vel alia facere solet.

Itaque reperimus causa perpetua semper aliquam naturalem nec quod manu fiat contineri; neque autem alius servitutis eam causam esse perpetuam, quae alii sufficiat. Perpetuitatem enim non per se ipsam, sed id semper respicientes, quod quaeque servitus spectet, aestimare debemus. Nam prout servitus aliud atque aliud spectet, etiam res naturalis, quae causa perpetua cuiusdam servitutis sit, alia requiritur. Idcirco stillicidii vel fluminis, quae aquam pluviam derivandam spectant, haec aqua habetur pro causa perpetua; haustui autem vel pecoris appulsui, quae plane alia spectant, non sufficit aqua pluvia, quia hominum et pecorum desideria non simul cum imbribus finiuntur. At quum haustus causa perpetua praestetur aqua puteali, aquaeductus causa ea aqua esse nequit, quod aqua putealis duci non potest. Constat igitur non nisi fonti vel flumini vel interdum lacui, quae (proprio vigore) praestent, ut perpetuo duci possint, aquaeductus servitutem imponi posse.

§. 7.

Controversiae de causa perpetua motae.

Postquam ne de causa perpetua doctrinam aquaeductus disturbemus, maxime Ulpianum hanc rem in libris suis ad Edictum [1]) tractantem secuti, primum quid sentiamus, simplicissime exposuimus, nunc ad controversiam illam de hac re graviorem et in iurisprudentia per saecula propagatam transeamus. Dubitare enim potest, ne etiam Justiniani tempore aqua perpetua ac viva ad servitutem aquae ducendae constituendam opus fuerit, quia duae leges in pandectas receptae (l. 2 D. 8, 4 et l. 9 D. 8, 3) doctrinae

3) Cf. L. 1. §. 6. D. 43, 20: ... „ut defluere extra terram et usui esse non possint."

1) Cf. tit. 20 et 21. D. 43.

de hac re prolatae adversantur. Id quod eo magis admirationem excitat quod alterius loci (l. 2 D. 8, 4) auctor est Ulpianus, cui maxime hanc doctrinam diligenter tractatam debemus.

Boeckingius [2]), qui subtilis ac ceterum non aliorum vestigia premens est, opinionem in glossa positam neque a *Graevio* et *Heineccio* [3]) prospere defensam denuo recipiens hanc legem ita interpretatur:

De aqua per rotam tollenda ex flumine (also publico, wo nicht das Gegentheil gesagt ist s. §. 2 J. 2, 1) vel haurienda vel si quis servitutem castello (i. e. receptaculum, quod aquam publicam suscipit: Ulp. l. 1 §. 39. cf. 41 D. 43, 20) imposuerit, quidam dubitaverunt ne hac servitutes non essent (so stellen einige den Satz auf, dieses seien keine Servituten): sed rescripto imperatoris Antonini ad Tullianum adiicitur, licet servitus iure non valuit (obgleich dieses als Servitut nach Civilrecht nicht gilt) si tamen hae lege comparavit seu alio quocunque legitimo modo sibi acquisivit, tuendum esse eum, qui hoc ius possedit.

Hac de interpretatione, qua *Boeckingius* putat summam legis in eo versari, quod Antoninus iuri in re publica servitutis vigorem attribuisse voluerit, quodammodo addubitamus. Non enim satis intellegitur, cur haec potissimum publica iura servitutes iudicari Antoninus voluerit, quum permulta iura publica fuerint, quae servitutes non erant [4]). Deinde vix credendum est quosdam ICtos Romanos ignorasse iura in rebus publicis semper iura publica nec plane servitutes i. e. iura privata esse. Quum autem Ulpianus dicat „quidam dubitaverunt" colligendum esset plerosque iure consultos putavisse publica illa iura esse servitutes. Denique *Boeckingius* de hoc loco agit iuxta ac si Ulpianus dixisset: „De aqua ducenda ex flumine vel haurienda" rel., quum saltem verba „de aqua per rotam tollenda" haud temere possint esse praemissa. Praeterea, quum constet iura propria in rebus publicis peti vel postulari debuisse [5]) mirum est quod Ulpianus dicit: „si quis servitutem ... imposuerit" ... vel. Quibus rebus commoti coniecturam *Gluecciі* ab *Elversio* denuo prolatam [6]) et a *Boeckingio* reiectam amplectamur hoc loco de ser-

---

2) Pand. §. 162. n. 36.
3) *Glueck* §. 663. n. 5.
4) *Elvers* §. 30.
5) Diss. §. 6 n. 7. 8.
6) *Elvers* §. 29.

vitutibus agi praetoriis, in quibus sane quidam dubitare poterant ne hae servitutes (scil. iure civili, quod ex verbis sequentibus facile est mente comprehendere) non essent. Difficile autem est cognoscere, cur haec iura non potuerint esse servitutes iure civili constitutae. Quamquam multi iam explicandi periculum fecerint, tamen etiam nobis nostram interpretationem proferre liceat.

Quum castello utpote publicae rei nulla possit servitus imponi, servitutem autem exsistere aperte dicatur, verba: „si quis servitutem castello imposuerit" nil nisi hoc significare possunt: „si quis castellum quod aquam praebeat, respiciens (mit Rücksicht auf ein Reservoir) servitutem aquae per fundum alienum ducendae vel etiam eundi, si aqua hauritur, constituit." Quod si verum est, facile intellegitur, cur ICti dubitaverint, ne servitus aquae ex castello vivam aquam non habente ducendae constitui possit.

Quod ad alterum ius pertinet, plurimum gravitatis haec verba habent „per rotam tollenda." Neque autem perspicientibus rotam[7]) haud dubie recens institutam ac, quod manu facta erat, minus certam fuisse, quam si naturali vi aqua in rivum deflueret[8]), difficile erit ad intellegendum; quocirca quidam ICti hic etiam dubitaverint, ne haec servitus non esset.

Adhuc quaeritur, qua re Antoninus adductus utrique horum iurum servitutis vigorem vindicaverit. Manufestum est, nulla alia re, quam eorum iurum satis tuendorum gratia. Ut enim omittamus apud Romanos doctrinam de iuribus in re publica tuendis omni ex parte absolutam atque excultam non fuisse[9]), liquet tamen, si ius aquae ex castello per fundum alienum ducendae constitutum sit, interdictum de aqua publica[10]), ad litem finiendam non suffecisse; quum

7) Vitruvius Pollio, de architectura X. c. 10: „Fiunt etiam in fluminibus rotae eisdem rationibus, quibus supra scriptum est. Circa earum frontes affiguntur pinnae, quae cum percutiuntur ab impetu fluminis cogunt progredientes versari rotam: et ita modiolis aquam haurientes et in summam referentes, sine operarum calculatura, ipsius fluminis impulsu versatae, praestant quod opus est ad usum." *Isidor.* lib. ult. c. 15: „Dicta est rota, quia ruat. Est enim machina, qua ex flumine aqua extrahitur." Cf. *Brissonii* lib. D.V.S.

8) Diss. §. 6. n. 3. atque in fine.

9) *Schmidt*, Interdictenv. p. 144. p. 87. *Elvers* §. 30. p. 269 sq. *Hesse* l. c. p. 274, 3.

10) L. 1. §. 38 sq. D. 43, 20.

praetore ius privatum iuri publico adiectum in hoc interdicto non respiciente, iudex rationem fundi servientis et dominantis ad normam non dirigeret neque definiret, quam late iura unius paterent, neque quid ab altero concedi oporteret, aut quantum ei liceret impedire. Actionem vero confessoriam, si de aqua per rotam tollenda lis orta est, mihi competere, negare potuisses, quod non iure civili ducerem. Quas ob res *Antoninus* rescripsisse videtur, eum, cui alterum ius vel alterum sit, esse tuendum ac si servitutem iure constitutam habeat.

Si hanc interpretationem probas, etiam legem 9. D. 8, 3, quae ex *Paulli* libro I. Sententiarum recepta est non difficiliter intelliges. Qua in lege, quum *Paullus* neque fontem[11]) neque „principia fossarum, quibus aquae ex lacu[12]) in primum rivum communem pelli solent", per vocem „capitis" intellegat, strictiorem sensum huic vocabulo *Paullum* tribuisse quam Ulpianum constat. Quocirca ICtus, quoniam verbo illi nihil aliud quam flumen vel principia fossarum, quibus aquae ex flumine in primum rivum communem pelli solent, supponere potest, id expressisse videtur: Servitus aquae ducendae nisi ex flumine vel ex fonte constitui non potest. Itaque auctor „Sententiarum" de aqua ducenda, quum lacui servitutem imponi posse neget[13]), etiam paullo strictiorem sententiam quam Ulpianus profert. Sed illud *Antonini* rescriptum, quo illi, qui ex castello ducit, utilis actio confessoria atque interdictum de aqua privata competit, respiciens addit *Paullus*: „Hodie tamen ex quocunque loco constitui solet."[14]) Quibus verbis non refertur, hodie etiam ex cisterna vel stagno vel ex aliis locis, quae non habent aquam perennem, sed tantummodo etiam aliam aquam quam ex fonte vel ex flumine (i. e. aquam vivam) duci solere, dum modo perpetua sit. Etenim castellorum vel lacuum publicorum vel aliorum locorum publicorum perpetuitatem quodammodo civitas naturae loco praestat.

---

11) Dicit enim Paullus: „ex capite vel ex fonte".

12) L. 28. D. 8, 2. Cf. Diss. §. 6 n. 1.

13) Diss. §. 6 in fine.

14) *Huschke,* Jurisprudentia anteiustin. in praemonitione de *Julio Paullo.* Editio altera. p. 353.

§. 8.

Aquaeductus quid spectet.

Aquaeductus perinde atque alia iura praediorum ad bonitatem, salubritatem, amplitudinem alicuius fundi spectat[1]), nam servitus utilis esse debet. Aqua vero, ut utilis sit, propter varias causas duci poterit, prout praedium dominans (ut rusticum) agriculturam vel pecuariam spectat aut (veluti urbanum) ut hominibus domicilium praebeat vel artificio cuidam ut fabricae, balneo rel. serviat[2]). Itaque aquaeductus tum ad agros irrigandos et pecoris causa tum propter domus incolas vel artifici gratia constituitur.

Sed etiam amoenitatis causa aquaeductus constitui potest. Nam nemini dubium est, quin nemori aquagium vel horto fons surgens vel similia maius pretium addant; neque aquaeductus ad has res constitutus inutilis dici potest[3]). Si vero aquaeductus fundo utilitatem non praebet, constitui nequit. Nam *Pomponius*[4]) omnino dicit: „Quoties nec hominum nec praediorum servitutes sunt, quia nihil vicinorum interest, non valet". Sed de aquaeductu Labeo asserit:

L. 19. D. 8, 1. (Labeo lib. IV. Posterior. a Javol. epitom.) Ei fundo, quem quis vendat, servitutem imponi, etsi non utilis sit, posse existimo; veluti si aquam alicui dedere[5]) ducere non expediret, nihilominus constitui ea servitus possit; quaedam enim debere[6]) habere possumus, quamvis ea nobis utilia non sunt."

---

1) L. 86. D. 50, 16.

2) Si aquaeductus etiam personae cedi potuerit (Diss. §. 2.) omnia, iuxta ac si usus rei constituendus sit, pacto vel hominum indigentia fuerunt definienda, quare id uberius explicari non opus est.

3) LL. 28. 41. D. 7, 1. L. 3. pr. 43. 20. *Thibaut*, Versuche I., Ueber Realservituten, welche zum Vergnügen abzwecken rel. Eiusmodi servitutes ab *Elversio* (§. 16) vocantur „Vergnügungsservituten," quae vox reprobanda est, nam quid dices, si quis theatrum vel villam aut imaginem dicturus est: Vergnügungs-Eigenthum. Cfr. *Boecking* §. 162. n. 63.

4) L. 15. pr. D. 8, 1.

5) et 6) *Boeckingius* (§. 162 n. 53) in ea lege textum corruptum esse suspicans suadet, ut pro „dedere" legatur „habere" et pro „debere" — „credere"

Haec sententia proinde ac l. §. 16. D. 43, 20, quarum utriusque Labeo auctor est, a servitutum natura, quippe quae conditionem fundi dominantis meliorem reddere debeant, abhorret, sed quum lex 1 §. 16. D. 43, 20 non nisi discedat a regula, hac lex regulam ICtus omnino tollere videtur. ICti, qui operam dederunt Labeonis verbis ita explicandis, ut neque cum *Pomponii* sententia neque cum rei natura discreparent, ad exitum, in quo omnes acquiescant, nondum pervenerunt.

Thibaltius [7]) cum eoque multi [8]) sententiam Labeonis nisi in alienationibus non esse adhibitam iudicaverunt, id quod in his non admodum sit mirum, quum servitutes nihil aliud quam domini sint partes, quae in tradendo possint retineri; ius enim acquisitum tolli a civitate non posse; omnem hominem res quidem habere ipsi inutiles, sed ex iis non posse exturbari. Quod igitur de toto valeat, etiam de partibus i. e. de servitute valere oportere.

Elversius [9]), qui ipse huic sententiae adstipulatur sed subtilem rationem huius legis quaerit, *Labeonis* sententiam ita intellegit, servitutes acquirenti quidem domino initules, tamen posterioribus utiles esse posse.

Etsi profecto in servitute levis res est, utrum is, cui debeatur, revera utilitatem inde capiat necne [10]) et quamquam nihil refert, servitutis commodum, quo fundi habitus melior reddatur, confestim an postea demum praebeatur [11]) tamen ex verbis legis citatae nullo modo cognoscitur, *Labeonem* has res respicientem eam sententiam protulisse. Sed *Boeckingius* [12]) quoque hunc locum ita tractat, quasi legendum sit: „Ei fundo, quem quis vendat, servitutem imponi, etsi praesenti domino non utilis sit“ rel.

---

7) Civilist. Abhandl. III. Ueber das Zurückbehalten unnützer Realservituten.

8) *Gesterding*, Nachforschungen IV. pars I. p. 42.

9) L. c. p. 139. sq.

10) L. 41. §. 1. D. 7, 1: . . „licet praedia quaedam talia sunt, ut magis in ea impendamus, quam de illis adquiramus, tamen usus fructus eorum relinqui potest.“

11) L. 33. §. 1. D. 8, 2: Futuro quoque aedificio, quod non est, vel imponi vel acquiri servitus potest.“ L. 10. D. 8, 3.

12) Pand. §. 162 n. 53.

Hac controversia ad finem non perducta, nunc ad aliam rem transgrediamur. Pertinet enim ad doctrinam de utilitate aquaeductus etiam ea quaestio, quantum aquae ducere liceat. *Diocletianus* et *Maximinianus* Imperatores rescripserunt [13]): „Non modus praediorum sed servitus aquae ducendae terminum facit." Ex quo sequitur, in constituendo aquaeductu ut in omnibus servitutibus constituentium voluntatem proxime respiciendam esse.

Sin autem lex servitutis non exsistit [14]), aut constituentes de aquae copia nihil statuerunt aut id, quod constitutum est, in dubitationem venit, servitutis loco praecepta ex natura aquaeductus proficiscentia et leges de hac re compositae valent. Quoniam ad fundi necessitati subveniendum vel omnino ad conditionem eius meliorem reddendam servitus constitui solet, de aquae ducendae copia hae regulae proponi possunt:

I. ne, qui habeat ius, minor ei copia concedatur, quam quae inopiam tollere vel fundum meliorem reddere possit;

II. ne dominus fundi servientis plus, quam ad haec perficienda sit necessarium, praebere debeat. [15])

A priore regula tum disceditur quum (quae non est servitutis conditio) fons in praedio alieno non tantum aquae praebere potest, quanto alius fundus eget. [16]). Altera regula confirmatur a

---

13) L. 12. C. 3, 34.

14) Quoniam secus quam pactionibus vel stipulationibus (Gai. II. 29. 30 Ulp. 19, 11. Vat. Frag. 45.) servitus imponi potest scilicet 1) diuturno usu (L. 2. C. 3, 34. *Schmidt von Ilmenau*, Civilist. Abhandl. p. 186—193; *Friedländer*, Die Lehre von der unvordenklichen Zeit. Marb. 1843. p. 63 sq.; *Unterholzner*, Die Verjährung [ed. *Schirmer*. 1858] I. §. 140. 142); 2) quasi possessione memoriam excedente (L. 3. §. 4. D. 43, 20. *Unterholzner*, l. c. II. p. 146, 155, 180 sq. n. 647); 3) legato (L. 2. 3. 7. D. 33, 3); tandem 4) adiudicatione (L. 22. §. 3. D. 10, 2. L. 18. D. 10, 3).

15) Quum aquaeductus praedio rustico constitutus est, etiam domino vel incolis aquamductam ad usum proprium adhibere licet, primum quia ad agrum excolendum homines etiam multo magis quam pecora opus sunt. Deinde vero sententia quoque *Boeckingii* (§. 171. n. 31) vera est: „Die Gränze zwischen den Bedürfnissen des Grundstücks und denen der Leute darauf (z. B. zum Waschen, Kochen u. dergl.) wäre praktisch nicht bestimmbar und der Versuch, sie scharf durchzuführen, Quelle von Chicanen und Zänkereien."

16) L. 9. D. 8, 6. *Boecking* §. 161. n. 21.

Neratio[17]) dicente: „ut maxime calcis coquendae et cretae eximendae servitus constitui possit, non ultra posse, quam quatenus ad eum ipsum fundum opus sit.“ Quam sententiam et *Ulpianus*[18]) probare videtur et *Paullus*, qui *Neratii* dictum exemplis confirmat[19]) alioque loco[20]) respondet: nihil amplius quam quod ipsius fundi siccandi causa quis derivet, vicinum inferiorem recipere debere. Sed verisimile est, hanc sententiam non in omnibus servitutibus diligenter observatam esse, et de aquaeductu ICti Romani praeclarissimi controversiam moverunt, utrum praeceptum illud quasdam exceptiones accipiat. Africanus enim scribit[21]) id fieri solere, ut qui aquaeductum habeat, dominis fundorum servientium atque cuivis vicino haustum ex rivo concedat. Similiter *Labeo* scripsisse traditur[22]): ex meo aquaeductu cuilibet posse me vicino commodare[23]). Contra *Proculus* quidem dicit: „ut ne in meam partem fundi aliam quam ad quam servitus acquisita sit, uti ea possit.“

Compilatores, quamvis *Proculi* sententiam a *Pomponio* veriorem laudatam non reprobaverunt, tamen aliud dictum receperunt, quo *Labeo* istud, quod *Proculus* hoc loco repudiat (mirum bellum inter auctores eiusdem scholae[24]) gestum!) consequenter defendit. Id quod in l. 1. §. 16. D. 43, 20 reperimus:

> Illud Labeo dicit, omnes partes illius fundi, in quem loci aqua ducitur, eiusdem numero esse. Ergo et si forte actor confinem agrum emerit, et ex agro, in quem hoc anno aquam duxerit, postea fundi empti nomine velit aquam ducere, ita demum eum recte hoc interdicto, ut de intinere actuque uti putant, ut semel in suum ingressus inde egredi, qua velit, possit, nisi ei nocitum sit, ex quo aquam ducit.“

---

17) L. 5. D. 8, 3.
18) Lib. XVII. ad Edict. Cf. n. 17.
19) L. 6. pr. h. t.
20) L. 29. D. 8, 3.
21) L. 33. §. 1. D. 8, 3.
22) L. 24. D. 8, 3
23) *Elversius* (p. 145 sq.) hanc sententiam etiam legi 44. D. 19, 2 („Locare servitutem nemo potest“) adversari putat. Sed „aquam ex rivo commodare“ estne idem ac „locare servitutem?“
24) *Zimmern*, Geschichte des röm. Privatr. I. §. 64. 83. 85.

Neque adhuc illa controversia a compilatoribus importata in explicandi periculis saepe memoria dignissimis ad finem, in quo acquiescat, est perducta. Recentiorum enim iuris doctorum multi[25]) eo, quod Africanus tradat ac *Labeo* dicat, communem regulam non tolli statuentes id, quod aequitati aptum sit, exceperunt, ut quis plus aquae, quam ad fundum ipsum opus sit, ducere possit, — si ei nocitum non sit, ex quo aquam ducit.

At *Thibaltius*[26]) et *Glueckius*[27]) legem communem, nulla exceptione admissa, defendentes *Labeonis* et *Africani* testimonia repudiant. Quorum ratione, quia profecto periculosa est, alii iurisperiti non contenti fuerunt. Praecipue *Elversius*[28]) multis illis explicandi rationibus novam addit, qua agro empto (l. 1. §. 16. D. 43, 20) pariter aquaeductus per eundem fundum debeatur, quam alteri praedio; quare de eo tantum agatur, utrum aqua ad agrum emptum nunc etiam directe sit ducenda, an emptori per priorem suum fundum antea ducere liceat, — quae interpretatio vereor ut adstipulatores inveniat.

Africani autem sententiam, quod ad hanc rem non spectet, reicit *Elversius*[29]) legem 33 l. c. interpretans: dominos fundorum omnium tam servientium quam dominantium stipulatos esse, ut haustum cuivis dominorum illorum vel vicinorum patiantur. Quam explicationem veram esse *Elversius* non demonstrat.

Puchtam[30]) sequens *Boeckingius*[31]) breviter, ut solet, diiudicat: „Bei Ulp. l. 1 §. 16. D. 43, 20 redet *Labeo* von dem Wasser, das der Actor seinem Servitutrecht gemäss (ohne dass ei nocitum sit, ex quo aquam ducit) auf sein herrschendes Grundstück geleitet hat und dessen weitere Benutzung also den Servitutpflichtigen nichts mehr angeht." *Puchta* igitur et *Boeckingius*

25) Imprimis *Hufelandus*, Westphalius. Cf. *Gluek* l. c.

26) Versuche üb. einz. Theile des röm. Rechts I. p. 12.

27) *Glückius* (X. §. 664) in ea cernit quoddam exemplum „der unvorsichtigen Eilfertigkeit, mit welcher *Justinians* Pandecten verfertigt wurden."

28) L. c. §. 16. p. 147.

29) L. c. §. 16. n. 1.

30) Institut. §. 253 n. c.

31) Pand. §. 162 n. 61.

probare student, *Proculum* id notasse, ne aqua ab initio pro alia fundi parte vel propter aliam causam, quam ad quas concessa sit, debeat duci, at *Labeonem* de sequenti tantum aquae ductae usu, postquam ea recte servivit, cogitasse.

Nos, qui huic rei diiudicandae in summo studio impares nos esse sentiamus, quamquam in rebus dubiis mitior sententia adhiberi debet, dubitamus illam, qua plus aquae duci liceat, quam ad fundum ipsum opus sit, nisi ei sit nocitum, per cuius fundum ducatur[32]), omnino accipiendam esse; tamen dominum cum eo agentem, qui aquaeductum habet, quod plus aquae quam ad fundum ipsum sit opus, ducat vel cum vicino quodam, quod aquam ex rivo hauriat, non audiendum esse opinamur, sed ei, quod hoc usu sibi damnum fiat, vel quod aquaeductum habens plus aquae, quam constitutam vel legatam vel quam hoc anno, priore aestate ducat, allegare necesse erit.[33])

§. 9.
De modis aquaeductus.

Lege servitutis — ut antecedente § reperimus — copia aquae determinari potest, quod ita fit, ut mensura aquae vel etiam ita, ut tempus ducendi constituatur.[1]) Quibus de adiectionibus, quae modi servitutis dicuntur, nunc agamus.

Quaelibet anni spatia vel anni ipsi ad aquam ducendam possunt constuitui[2].) Praesertim autem Romani aquam quotidiniam et aestivam vel hibernam distinguunt, eam appellantes quotidianam, quae quotidie duci potest. Huc igitur etiam

---

32) Est enim is, qui aquam et is, qui iter tantum praebet. Nam illi quoque, qui praebet aquae iter, si plus ducitur, noceri potest.

33) *Elvers* §. 16 n. a.

1) L. 5 D. 43, 20: „Constat .... non solum temporibus sed etiam mensuris posse aquam dividi". L. 5. D. 8, 1. L. 19. §. 4. D. 10, 3.

2) L. 7. D. 8, 6: . . „vel aestate" . . . „vel uno mense" .... alternis annis vel mensibus " .... „alternis diebus aut die toto aut tantum nocte". . alternis horis vel una hora quotidie" . . . L. 16. D. 8, 6: . . . „suo quisque die" . . . L. 2 §. 1 D. 8, 3: . . „diversis diebus vel horis" . . L. 1. §. 3. D. 43, 20: . . . „vel aestivo tempore vel hiberno" . . . §. 22 ib : . . „tertio quoque die, quinto quoque" . . . L. 2 h. t.: . . „diurnarum aut nocturnarum horarum" ...... L. 5 h. t. — Alternis annis aqua per raro divisa esse videtur.

aqua pertinet, cuius usus horarum, hebdomadum et mensium intervallis est interruptus[3]). Sin autem haec intervalla ex civili temporum computatione petita cum temporibus aestatis et hiemis natura rerum[4]) non hominum computatione statutis congruunt, aqua, qua his temporibus tantum uti expedit, aestiva vel hiberna vocatur. Discrimen inter aquam quotidianam et aestivam tanti momenti erat, ut praetor utramque proprio quodam interdicto tueretur.[5])

Praeterea in diurnam et nocturnam, quatenus die tantum aut tantum nocte ducitur, aquam Romani discernunt.[6])

Tempus ad servitutem exercendam constitutum est accurate observandum[7]), quum si is, cui ius est, alio tempore ducit, nullo tempore duxisse videatur nec ob hanc rem retineat actionem, sed longi temporis praescriptione ius amittat[8]).

Aquae usus certis etiam mensuris dividi potest, ita ut uni aut compluribus, qui aquaeductum habent, perpetuo etiam quidem ducere liceat, sed constituatur, ut non nisi terminatam recipiant copiam. Id quomodo sit factum, quamquam fontes quidem nihil proferunt, tamen eos apparatibus, qui erant in publicis aquaeductibus usitati eidemque dividendi rationi servientes, similes habuisse certo statui potest. Erant enim, ut *Frontinus*[9]) fusius describit, fistulae mathematica ratione tam accurate confectae, ut non nisi definitam aquae multitudinem reciperent.

Quod usus tempore ac mensura circumscribi dividique aqua potest, servitutem divisam esse non probatur, nam *Papinianus* in l. 4. §. 2. D, 8, 1, quam *Boeckingius*[10]) commentario instruxit, „Intervalla, inquit, dierum et horarum non ad temporis causam (die Dauer des Servitutrechts) sed ad modum (s. §. 115 n. 5.)

3) L. 1. §. 3. 4. L. 6. D. 43, 20.

4) L. 1. §. 32. D. 43, 20: „Aestatem incipere, sic peritiores tradiderunt, ab aequinoctio verno et finiri aequinoctio autumnali; et ita senis mensibus aestas atque hiems dividitur."

5) L. 1. §. 31. D. 43. 20.

6) L. 10. §. 1. D. 8, 6. L. 17. D. 39, 3. L. 2. D. 43, 20.

7) L. 2. D. 43, 20.

8) L. 10. §. 1. D. 8, 6. L. 17. D. 39, 3. L. 16. 18. pr. D. 8, 6. Cfr. L. 5. §. 1. D. 43, 20. *Boecking*, §. 170. n. 48. — Quae restitutio in integrum hac in re valeat vid. in l. 34. §. 1. l. 35. D. 8, 3.

9) L. c. §. 23—64 112. 113.

10) Pand. §. 161 n 36

pertinent iure constitutae servitutis" (denn nach ius civile konnten servitutes neque ex tempore neque ad tempus constitui. pr. ei. l.)

§. 10.

De rivalibus.

Divisio aquae tum maxime videbatur esse necessaria, quum plures ius eiusdem aquae habebant.[1]) Quod ius varia ratione compluribus constitutum esse poterat: 1) aut enim, cui ius erat, usque ad caput aquae rivum suum separatum habebat; 2) aut ita, ut aqua in communem lacum ducta a singulis per proprios rivos acciperetur[2]); 3) aut, ut primum per communem aquaeductum deinde seiunctis ductibus aqua produceretur[3]); 4) aut ita, ut omnino per communem aquaeductum ducerent[4]).

Ii, quibus ratione tertia et quarta, vix quibus secunda neque unquam quibus prima ratione ius constitituum erat, rivales vocabantur, quia illi per eundem rivum ducebant[5]). Rivales, ut quis per speciem iudicans putaret, in communione vel societate quadam non fuerunt[6]), id quod Paullus ICtus confirmat[7]). Quare si inter eos non convenit, quemadmodum utantur aqua, non nisi utile iudicium communi dividundo redditur.

Si eiusdem aquae, cuius servitus aliqua iam imposita est, secundum unam ex quattuor illis rationem etiam alii dominus soli ius concedere vult, voluntatem eius vel eorum, quibus aquaeductus est, exquirere debet. Id quod his legibus 8. D. 39, 3 et 4. C. 3, 34 confirmatur.

Sed hac in re, utrum eius, qui primum ius habet, semper sit necessarius consensus, an modo ubi eius ius minuatur, quaerunt. Si nullo modo invito eo, qui primus aquae ius acquisivit, dominus cuidam alteri servitutem concedere debet, alius a difficili ac pertinaci homine in perpetuum usu potest impediri.

---

1) L. 2. §. 1. 2. D. 8, 3. L. 4. 5. D. 43, 20. — Propter l. 8. D. 39, 3. et l. 4. C. 3, 34. v. intra.

2) L. 3. §. 3. D. 43, 21.

3) L. 16. pr. D. 8, 6.

4) L. 4. D. 43, 20.

5) L. 1. §. 26. D. 43, 20.

6) L. 16. D. 8, 61.

7) l. 19. §. 2. 4. D. 10, 3. Cf. *Boecking* §. 169 n. 18.

Id quod sane constitutione Codicis laudata praescribi videtur. Atque *Elversius*[8]) hanc sententiam probat. Sed, aqua sufficiente, hoc praeceptum cum praetoris aequitate parum constaret; haud dubie enim praetor ius tantum acquisitum defendere neque arbitratum iniustum edicto tueri voluit. Id quod etiam *Ulpiano,* qui ipse edictum respicit, placet, voluntatem putanti eorum, quibus servitus debeatur, esse spectandam vel exquirendam, quum eorum ius minuatur.

Opinionem nostram esse probabilem etiam ex sententiis *Neratii*[9]) et *Juliani*[10]) ICtorum elucet; nam quid aliud regula, dominum, aqua sufficiente, alii quoque tertio eiusdem aquae per eundem aquaeductum servitutem concedere posse, adhuc velit, ac (quum in cuiusque potestate esse, quomodo rebus suis utatur quantumque minuat dominium suum, per se intellegatur) id statuere, ut domino, aqua sufficiente, alii etiam invito eo, qui ius antea habens temere obstat, concedere liceat. Inde etiam *Julianus,* quamquam ille *Lucius Titius* non rogatus aut rogatus non consensisse videtur, tamen posse dominum *Maevio* quoque, ut per eundem aquaeductum ducat, ius cedere respondet[11]).

8) L. c. p. 72 sq. Eo quod usufructuarius (cf. l. 15. i. f. L. 16. D. 6. 1) pati non cogitur, ut fundo, quem qualiter se habentem possidet, servitus imponatur i. e. ususfructus minuatur, haec *Elversii* sententia haud videtur confirmari.

9) L. 2. §. 2. D. 8, 3.

10) L. 4. 5 pr. D. 43, 20.

11) *Keller* (§. 166) hac quoque re sententiam confirmari dicit, qua dominium aquaeductus eius sit, cuius est praedium, sed num praeterea alios locos allegaverit non invenimus. Res, quae hic movetur, tum magni momenti esse potest, quum quis per rivum non terrenum sed lapide vel fistulis instructum duxerit aquam ac postea damnatus, ut lapides vel fistulae vel alia restituantur contendat. In hac controversia praesertim l. 2C. 3, 34 valebit: „Si aquam per possessionem Martialis eo sciente duxisti, servitutem exemplo rerum immobilium tempore quaesiisti. Quod si ante id spatium eius usus tibi interdictus est, frustra sumptus in ea re factos praestari tibi postulas, quum in aliena possessione operis facti dominium, quoad in eadem causa manet (alio igitur modo dominus separatis lapidibus vel fistulis uti non potest!), ad eum pertinet, cuius est possessio.“ (Aliter res se habet in l. 27 §.5. l. 37.38. D. 6. 1.) — Sin vero damnatus cum rivalibus duxerit, negotiorum gestorum actio ei competit. — — Quod de aquaeductu id etiam de rota valet, cf. *Elvers* p. 158 n. m.

§. 11.

De aquaeductus individua natura.

(Elvers §. 9 p. 89 seq. Boecking §. 162 f. — k. §. 75 g. not. 11. 15. §. 169 g.—i. §. 171 v. Keller §. 164, 4. 5.)

De una tantum re, quum de interdictis ad aquam ducendam spectantibus in altera parte loquamur, restat nobis dicere i. e. de servitutis individua natura. Quamquam accurata huius doctrinae tractatio confirmatioque ad descriptionem omnium servitutem revocandae sunt, tamen praecipue quia servitus aquae pluribus fundis imposita [1]) aut modis terminata [2]) fortasse interdum aliam speciem praebet, etiam huius rei mentionem facimus.

Illa iuris regula, servitutes individuas esse, ita intelligenda est, ius in re aliena nonnisi totum constitui totumque amitti posse. Num huius rei causa a Pomponis allegata [3]), quia servitutum usus ita connexus sit, ut qui eum partiatur naturam eius corrumpat, vera sit, nobis persequenda non est; sed tantum quomodo in aquaeductu regula confirmetur, singillatim demonstrare, satis habemus.

I. Servitutes non per partes acquiri posse [4]) in aquaeductu ex his apparat:

a. Si quis ius aquae astivae acquisiverit posteaque ius aquae hibernae, — haec ambo non sunt unum ius aquae quotidianae, sed duae servitutes [5]). Similia in modo mensurae quoque fieri certe poterant.

b. Usurpando quisquam totum aquaeductum acquirit, quamvis una tantum parte usus sit [6]).

c. Aquaeductus pars ne in obligationem quidem deduci potest [7]).

---

1) L. 33. §. 1. D. 8, 3.

2) Cf. Diss. §. 9.

3) Corp. iur. anteiust. edit. prima. p. 169 L. 17. D. 8, 1.

4) L. 8. §. 1. L. 11. pr. D. 8, 1. L. 30. §. 1. D. 8, 2. L. 49. §. 1. D. 35, 2.

5) L. 7. D. 8, 6. L. 17. pr. D. 39, 3.

6) L. 9. D. 8, 6.

7) L. 17. D. 8, 1. L. 2. D. 33, 3.

d. Toti tantum fundo dominus neque alicui parti, nisi illam antea separatam et sic pro diviso tamquam proprium fundum habet, aquaeductum imponere potest[8].

e. Neque nisi toti fundo servitus aquae ducendae potest concedi[9].

f. Aquaeductus per complures fundos constituendus tum demum in iure efficax est, quum omnibus est impositus[10]; nec minus, si vicinus, cuius fundus est a meo via publica separatus, ius aquae mihi concesserit, tunc demum, quum imperator, ut per publicam viam ducatur, permissit. Itaque quamdiu servitus non plane erat imposita, mancipatio in iureque cessio (dum hae acquisitionis omnino adhibentur) certe non poterant fieri.

g. Si fundus complurium est dominorum, aquaeductus tunc demum valet, quum omnes domini stipulati sunt; nam unus eorum servitutem nec acquirere nec cedere potest[11].

II. Nullo modo per partes nec non utendo vel remittendo nec confundendo nec fundo vendendo servitus aquaeductus potes amitti.

a. Si is, cui ius aquae debetur, non omnino, sed ex parte tantummodo utitur, servitus quatenus sine usu fuerit, longo tempore praescriptione non evertitur[12], quum id aut omnino aut plane non queat fieri[13].

b. Si complurium dominorum est fundus, cui ius debetur, servitus et si unus tantum eorum vel fructuarius vel bonae fidei possessor usus est, non amittitur[14]; nec magis, si unus eorum servitutem remiserit[15].

c. Aquaeductus idem pluribus praediis impositus eo quod dominus fundi dominantis ex servientibus fundis unum acquirat

---

8) L. 6. §. 1. D. 8, 4.

9) L. 5—11. D. 8, 1. L. 23. D. 8, 3.

10) L. 7. §. 1. D. 8, 3. L. 7. §. 1. D. 8, 4. L. 18. D. 8, 3.

11) L. 5. 6. §. 3. l. 18. D. 8, 4. L. 19. D. 8, 3. — L. 2, D. 8, 1. L. 11. 34 pr. D. 8, 3.

12) L. 7. 9. D. 8, 6.

13) Diss. §. 9. nn. 7. 8.

14) L. 5. 6. 16. D. 8, 6.

15) L. 34 pr. D. 8, 3.

nequit interire, quia toties modo servitus confunditur, quoties uti ea is, ad quem pertineat, non potest[16]. Idcirco servitus certe potest consistere, si partem praedii nactus sim, quod mihi aut cui ego serviam[17].

d. Servitus, quia est qualitas[18], ad totum fundum pertinet eiusque usus ad omnes eius partes, ita ut in fundo dividundo — quoad fieri potest — servitus omnes singulas partes sequatur[19].

Attamen servitus aquaeductus, licet nec acquiri neque amitti per partes possit, per partes potest retineri[20].

---

16) L. 15 D. 8, 6. L. 31. D. 8, 3. — Aliter res se habet in l. 27. D. 8, 3.

17) L. 30. §. 1. D. 8, 2. L. 8. §. 1. D. 8, 1. L. 6. §. 1. D. 8, 6. Certe si is, cui servitus debebatur, alterum ex ea divisione fundum redemerit, num ideo minus ea re fundi alterius servitus permanebit, rel.

18) L. 86. D 50, 16.

19) L. 23. §. 3. L. 25. D. 8, 3. L. 6. §. 1. L. 8. D. 8, 6. — Boecking §. 169 n. 18, qua legem 19. §. 4. D. 10, 3 explicat.

20) L. 8. §. 1. D. 8, 1. L. 30. §. 1. D. 8, 2. L. 6. D. 8, 6. Valde subtilem casum v. i. l. 34 pr. D. 8, 3.

VITA.

Julius Wasner Vratislaviensis a. d. XV. Cal. Octobres a. h. s. XXVIII. natus sum patre Theophilo, quem anno LXV. morte ereptum valde lugeo, matre Luisa a gente Batzdorff, quam adhuc vivam summa pietate veneror. Fidei sum addictus catholicae. Quum parentes mei pauperes essent, quam ut subsidia ad litterarum tractationem, quam maxime in votis habebam, necessaria mihi praeberent, usque ad annum aetatis quintum decimum actum frequentavi ludum elementarium. Tandem contigit mihi, ut a. h. s. LII. in gymnasium ad St. Mathiam urbis nostrae reciperer, quod directore Dr. Wissowa, cui magnam benevolentiam debeo, floret. Lex annis et semestri post primanus inferioris ordinis gymnasio relicto anni LIX. tempore paschali munus praeceptoris domestici in Silesia superiore mihi delatum suscepi. Anno praeterlapso Vratislaviam redii, ubi paulo post extranei nomine maturitatis testimonium adeptus

sum. Quo instructus anni LX. mense Octobris in universitatem litterarum Vratislaviensem transii et a Branissio professore inter cives academicos receptus apud ICtorum decanum Abegg nomen dedi. Per sex annos et dimidium scholis interfui Virorum ill. DD. Abegg, Elvenich, Gitzler, Huschke, Schulze, Stobbe, Schirmer, Bergius, Franklin, Paul, Tellkampf, quibus omnibus viris de me egregie meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

THESES DEFENDENDAE.

I. Separatam oeconomiam iuris germanici haud recte emancipationem quidam appellant.

II. Illa Elversii ICti sententia: servitutes in dominio qualitatis fundi servientis consistere vera non est.

III. Ad dominium specificando acquirendum bona fides opus est.

IV. Heredem ex antiquo Germanico iure non solum cum mobilibus pro debitis respondere contendo.

V. Opinio Gratiani „posse adulterum eam feminam, quam vivente eius marito adulteravit coniuge mortuo ducere in coniugium, nisi forte idem aut mulier virum qui mortuus fuerit occidisse notetur aut propinquitas aut alia quaelibet actio criminalis impediat“, canonibus ab eo allegatis non confirmatur.